Numerus 4 - Anni 4
Aprilis 1927

Roma (30) - Via S. Nicola da Tolentino, 8

ACIES ORDINATA

EPHEMERIS MENSTRUA
NOSTRIS DIRECTORIBUS
CONGREGATIONUM B.M.V.

oblata a secretariatu
centrali congregationum B. M. V. :: :: ::

Manuscripti instar, ad usum Nostrorum tantum

B. ALBERTI MAGNI DOCTRINA

DE UNIVERSALI B. M. VIRGINIS MEDIATIONE

II. DE MEDIATIONE IN PARTICULARI.

Videamus nunc quaenam sit realitas obiectiva, significatio exacta, natura intima, elementa constitutiva mediationis universalis Mariae.

Tria elementa constitutiva huius mediationis esse videntur: 1) maternitas spiritualis B. V. respectu hominum; 2) eius cooperatio in opere redemptionis; 3) eius intercessio actualis in coelis. Quos praecise adspectus concretos B. Albertus proponit.

1) Maternitas spiritualis Mariae.

B. Virgo non solum mater Christi, sed etiam mater hominum est. Monstrabimus ergo verbis beati Doctoris tria: *a*) *factum* huius maternitatis spiritualis; *b*) *eius originem:* incarnationem filii Dei; *c*) *confirmationem et promulgationem* solemnem sub cruce.

a) *Maternitas spiritualis est proprietas* vel consequentia logica tituli « secundae Evae: " " Vide nostram Evam matrem omnium viventium per gratiam. " " Mater omnium est: et hoc tripliciter: fuit anima mater unius hominis per generationem, omnium per regenerationem et virginum mater per imitationem ". " Fecunditatem (habuit Maria) spiritualem universalem quia omnium bonorum mater est ".

De materna bonitate belle dicit: « Quia igitur beata Virgo eximiae pietatis erat ac misericordiae, propterea gratiam excellentissimam apud Deum inveniens, mater meruit effici pietatis... Quid de fonte pietatis procedet nisi pietas...? » B. V. vitam spiritualem non solum *dat*, sed continuo *sustentat:* » Adhuc enim mater Virgo Christum in multorum cordibus formatum sua lactat dulcedine, et nisi lactaret, periret recenter formatus.. »

b) *Maternitas spiritualis* Virginis non est impropria vel metaphorica, sed *vera et realis.* Insuper, Maria est mater nostra non tantum per meram adoptionem, sed per veram generationem spiritualem; et ordo spiritualis non minus realis est et obiectivus, quam ordo naturalis. Fundamentum huius generationis est unio nostra ineffabilis cum Christo; quae unio per incorporationem jam initium sumpsit in momento incarnationis Verbi: « (Dominus) a regalibus sedibus descendens, invisceravit se nobis in visceribus Virginis ». Unde recte inferre licuit « Unum filium carnalem genuit, in quo omnes filios spiritualiter regeneravit ».

c) *Titulus maternitatis*, utpote secretus et mysteriosus, *promulgari debuit* solemniter, quod Dominus fecit quando in cruce redemptionem perficiens, matrem omnium fidelium proclamavit B. Virginem: " Thronus misericordia est beata crux... Ibi enim (Iesus) misertus est latroni, Ioanni, Mariae, Ioanni, cui talem dedit matrem, et toti generi humano. " Sed sub cruce B. V. non solum omnes homines ut filios accepit in persona Ioannis, sed omnes regeneravit ad vitam gratiae: « Tempore vero passionis, ubi mater misericordiae Patri misericordiarum in operatione summae misericordiae affuit.... facta est mater regenerationis: unde ibi propter fecunditatem spiritualem, qua totius generis humani mater spiritualis effecta est, non sine parturitione doloris omnes nos in vitam aeternam in Filio et per Filium vocavit et regeneravit, mulier merito dicta fuit... unde et ipsa nomen Evae mutavit non voce quidem, sed re: illa quidem omnes generavit in mundum, ista in coelos: illa mater carnalis, ista mater misericordiae; illa principium mortalitatis, ista principium regenerationis ».

2) Cooperatio in opere redemptionis.

Circa partes quas habuit B. V. in opere nostrae redemptionis, proinde circa eius maternitatem spiritualem tria ostendemus: 1) magis generaliter, factum cooperationis; 2) cooperationem quam praestitit in incarnatione Domini; 3) eius partes sub cruce Domini, ubi redemptio consummata est.

1) Etiam *factum cooperationis in eo reponit quod Maria secunda Eva est:* " Beata igitur Maria, quidquid Eva per culpam amiserat, recuperavit per gratiam toti mundo ". Ideo fuit " adiutrix redemptionis... et hominem lapsum reparavit et revocavit ". Ipsa suo modo subministravit et solvit pretium redemptionis nostrae: " Haec est theca thesauri pretiosissimi, qui absconditus est in Filio Dei.... quantum thesaurum bonum in se habuerit, quae tantum bonum protulit toti mundo ". Et nos eripuit e captivitate daemonis: " Ipsa enim non solum in seipsa caput hostis contrivit, sed praedam totius generis humani ab ipso abstulit ". Diligentia personali ad hoc opus contribuit: " Sola caritate Dei et proximi in affectu flagrans, Deum sibi per caritatem attraxit et proximo redemptionem impetravit ". " Sive in contemplatione excedit Deo, sive in actione sobria est, totum pro vobis est: virginitatis praeferens lilium, et fecunditatis offerens Filium, et totum pro nobis impendens virtutis meri-

tum „. " Haec est propitiatorium, super quod propitiatur Dominus peccatoribus „.

Quae omnia adhuc satis generalia sunt. *Cooperatio principalis B. M. V.* ad opus redemptionis eius *consensus liber ad incarnationem Verbi fuit.* Varia haec cooperatio fuit. Incarnatio virtualiter iam est redemptio: " Adhuc enim inter viscera conceptus, detraxit et abstulit spolia naturae nostrae.... In ipso matris hospitio salutem nostram est operatus „. Quapropter Maria iure merito Evae opponitur: " Invenisti gratiam, perditam ab Eva, a te quaesitam... diligenter... » Asserit b. Doctor, Christum illam ineffabilem cordis mansuetudinem, quam nobis ostendit, a B. V. accepisse: « Mulier quae non tam a sexu, quam a sexus optima proprietate, *mulier* vocatur: quia mulierum est frangi mollitie pietatis, et ad nihil durum cor exhibere. Haec enim... proprietate pietatis singularis... Heroem summum emollivi et flexit a duritia qua adversabatur nobis, quando piis lacrimis et devotione flexum molle carne induit; et sic ad pietatem emollivit ut nulli penitus resisteret.... Sic ergo illum nobis antiquitus durissimum, quem nullus tangere ausus fuit, mollitum et emollitum exhibuit ».

Ipsa salutotio angeli principium redemptionis fuit: " In angelica salutatione, Sancti Spiritus superventione, virtutis Altissimi obumbratione... salus nostra floruit, quando prope fuit salus nostra. » « Devotio accenditur, cum toti humano generi, mediante beatissima Virgine, perfecta pax et reconciliatio nuntiatur, et humana natura Deo abiecta et angelis inimica, a Deo prior per angelum salutatur ».

Maximum vero, *quod B. V.* ex sua parte ad redemptionem *praestitit, fuit fides* quam fecit angeli verbis *et consensus* quem dedit: " Scire desideramus quid sui vel de suo (B. V.) in hac operatione cum Domino habuerit. Et dicimus quod duo: *consensum* videlicet humilis caritatis et *fidem* indubitatam promissae veritatis; „ Maria " fuit... tantae fidei, ut fide mereretur concipere... Credere autem... est cum assensu cogitare et tota devotione inniti credito. Assentien o enim dixit: Fiat mihi... cogitando autem quaesivit modum, devotione autem quaesivit creditum, quando in oratione ad se traxit verbum „... " Post consensum autem Virginis, Dominus statim intravit in eam „.... " Terra nostra, qua dedit salutis fructum, aperta non est, nisi quod omnia interiora eius occurentiae in consensum verbi angelici, peregrinum in terra Dominum in gaudio susceperunt ». « Christum b. V. corporaliter non genuisset, nisi prius Verbum aure cordis concepisset, et custodivisset... » «.. ipsa cum congruo merito fidei, spei et caritatis et suae excellentissimae humilitatis meruit fieri mater Dei ». " *Causa efficiens nostrae regenerationis* post Deum, sub Deo, et cum Deo *ipsa fuit:* quia illum nobis genuit, qui nos omnes regeneravit, et ipsum gignere suis virtutibus de congruo meruit „.

De connexu B. V., vel potius *incarnationis cum cruce*, b. Albertus haec habet: " Portavit Virgo Mater infantem. Portavit et Simeon senex... Portavit et crux morientem... Portaverunt multi... In omnibus autem his portationum diversitatibus sola Virgo portatum suo infudit sanguine; et sola crux infusa est sanguine Crucifixi... Propter quod et sola Virgo portans et sola crux pro sanctitate communicatae sanguinis venerantur: Virgo scilicet; sanguine Filium Dei infundens, et crux infusa sanguine Christi „...

Multiplex quoque fuit *cooperatio B. V.* quam praestitit *sub cruce.*

a) *Sanguis* pretium nostrae *redemptionis, ex sanguine Matris* virginalis *desumptus* erat: « In cruce... de Virgine cruorem acceptum refudit ».

b) *Maria cordis doloribus particeps fuit dolorum redimentium Filii:* «... suam ipsius animam pertransivit gladius redemptionis peccatorum ». «... animam Filii sui e. ipsum Filium pro proximo posuit, quem plus quam propriam animam dilexit; et propriam animam, si necesse fuisset, obtulisset passioni propria voluntate, et eam in passione Filii crucifixit cum Filio: et sic duas animas obtulit sicque effectum dilectionis duplicavit „.

c) Quod vero *caput est: dolores Virginis uniti erant doloribus Filii* et ita efficaciam salvatricem acceperunt: « Dignitates Ecclesiae introductae sunt in *servitium et ministerium.* Beatissima autem Virgo assumpta est in salutis *auxilium et* in regni *consortium;* ipsa enim sola, ministris fugientibus, compassa fuit. Unde sola regni consortium obtinuit, quae laboris adiutrix fuit ». Et: « Hoc privilegium quod dicitur comunicatio passionis duo importat; fidem crucifixi Dei et hominis, et per se passionem ex compassione patientis... Sola b. V. tunc fidem habuit et compassionem crucifixi Dei et hominis, et per se passionem ex compassione patientis. Et sic sola fuit, cui datum est hoc privilegium, scilicet communicatio passionis; cui Filius, ut dare posset praemium, voluit communicare passionis meritum; et ut ipsam participem faceret beneficii redemptionis, participem esse voluit et poenae passionis: quatenus sic fuit adiutrix redemptionis per compassionem, ut mater fieret omnium per recreationem; et sicut totus mundus obligatur Deo per suam passionem, ita et Dominae omnium per compassionem „.

Invenimus ergo in compassione Virginis, modo utique subordinato, omnia elementa passionis Redemptoris: *elementum materiale remotum:* dolorem passionis sustinuit; *el. mat. proximum:* consors passionem ex compassione patientis; *elementum formale ex parte Virginis,* oblationem: duas animas obtulit; *el. form. ex parte Dei,* acceptationem istius compassionis ut instrumenti redemptionis: laboris adiutrix, adiutrix redemptionis, assumpta in salutis auxilium, voluit communicare passionis meritum, ut ipsam participem faceret beneficii redemptionis; *efficaciam actionis*: salvavit, gratiam invenit, vicit diabolum; *obligatio in omnibus redemptis erga Virginem; totus* mundus obligatur Dominae omnium per compassionem; *summatim:* ipsius animam pertransivit gladius redemptionis peccatorum; patri misericordiarum in operatione summae misericordiae affuit.

3) Intercessio actualis B. V. in coelo.

B. Albertus considerat mediationem B. V. modo analogo ac Patres generatim mediationem Christi. Ideo minus humilem intercessionem Mariae, quam regiam interventionem gloriosam ostendit. Intercessio Mariae, aliisque sanctis quidem communis est; sed illa B. V. *sola* universalis exstensive efficacissima est et necessaria in praesenti oeconomia salutis ex positiva voluntate Dei; dispensatio autem gratiae eiusque plenitudo abundans Mariae soli est propria. Ita considerata, mediatio B. V. est absolute universalis universalitate actuali et individuali: " B. V.plena est gratia omnium quantum ad numerum gratiarum, qua omnes ad numerum transeunt per ipsius manum „.

Conclusio.

Elementa principalia mediationis habentur in sermone B. Alberti M. in quo B. V. fonti comparat: " Per fontem intelligitur V. Maria. Per fontem quippe sordes lavantur, aestuantes refrigerantur, sitientes refocillantur, horti irrigantur. *Primo* igitur B. V. tamquam fons sordida *lavat.* Ipsa quippe per efficacissimam intercessionem suam peccatoribus compunctionem infundit et contritionem, per quam a peccatorum suorum sordibus emundantur.... Quicumque Christianus ex intimo corde ipsam imploraverit, eius meritis ac intercessione suorum peccatorum veniam consequetur. *Secundo,* b. V. sicut fons *refrigerat* piis consolationibus omnes tribulationum et adversitatum aestum patientes... *Tertio,* pia V. devotionis *aquas administrat,* quibus anima sitiens Deum refocilletur. Quicunque ergo vult habere devotas lacrimas, acceleret ad b. V ... : vere ipsa dabit aquas in abundantia.... *(tandem)* B. V. tanquam fons *irrigat* universum hortum Ecclesia fluentis virtutem... Ipsa est ille aquaeductus, qui diversimode rigat hortum plantationum Domini, id est, universos fidelis in Ecclesia commorantes „.

Secundum hoc aliosque multos textus in operibus b. Doctoris, actio B. V. in regno gratiae est directa et immediata, quacunque demum ex parte haec actio consi-

deretur. Et interventio haec directa extensionem habet absolute universalem, absque ulla exceptione: quod praecise intelligimus de mediatione B. V. loquentes. Accedit, quod Doctor universalis non pertinet neque ad adversarios neque ad propugnatores doctrinae de immaculata conceptione et assumptione corporali B. V.: ubi vero sermonem facit mediatione Mariae universali, de ea loquitur tamquam de re omnino clara et ab omnibus admissa; unde concludere licet, illum hanc doctrinam tamquam partem depositi fidei et universalis fidei catholicae considerasse.

"CENTENARIUM GLORIOSUM,,

Hodiernum festum S. Ioseph vocat " Osservatore Romano „ (26-II-1927). Hoc ipso etenim die 19 martii, *P. Alexander de Rhodes* anno 1627 appulit ad vicum Cua Bana regni Annam quod iure merito, " terra martyrum „ nuncupatur.

Natus in urbe Avignon a. 1591, iesuita factus, missiones exteras petiit. Operam suam posuit in missionibus Goa, Malacca, Macao; Iaponiam ingredi prohibebatur. Iam a. 1615 aliqui ex Nostris verbum Domini seminabant in terra Cochinchina quibus a. 1627 P. de Rhodes se adiunxit. Mox lingua incolarum illius regionis uti potuit ad predicandum maximo successu, nam ipsius laboribus effectum esse narrant quod post biennium 24.000 paganorum baptizari cupiebant. Persecutione exorta, Pater tandem captus et capite damnatus, postea tamen exilio effectus, Romam petiit itinere trium annorum difficillimo. Congregationi de Propaganda Fide et Innocentio X. tanta eloquentia necessitatem cleri et hierarchiae indigenae exponebat, ut s. pontifex illum ipsum Patrem episcopum consecrare vellet a quo proposito, petente Patre, abstinuit.

Roma P. de Rhodes in patriam rediit postquam in Italia per tres annos frustra auxiliares quaesierat. In Gallia, vix notitia de eius itinere per provincias Nostrorum sparsa, maximus fratrum numerus pro missione illa se obtulit. At, opus erat sacerdotibus saecularibus ut statim hierarchia erigeretur.

Florebat isto tempore C. alumnorum collegii Parisiensiis " Clermont „, ex qua iam aliqui boni sacerdotes prodierant. (1) Inter ipsos sodales intimior unio optimorum vigebat cui nomen " coetus bonorum amicorum „ erat. Duodecim illo tempore erant. His imprimis P. de Rhodes vota sua aperta faciebat. Statim omnes duodecim missionem Indochina petebant. Ast, in exercitiis decem dierum vocationem suam serio considerare debuerunt. Nullus sententiam suam mutavit.

Et ita ab his duodecim sodalibus fundamenta iacta sunt Societatis Parisiensis pro Missionibus Exteris a. 1653.

Cum etiam tres sacerdotes, sodales et " boni amici „ et ipsi, se ad arduum opus obtulissent, P. de Rhodes Europam iterum relinquendam esse censuit et a. 1654 ad Persos se contulit ubi missionem condebit, quin tamen omisisset terram et missionem Indochina libellis italice et gallice conscriptis commendare zelo christianorum.

Ob multas difficultates quas gubernium Portugalliae movebat, tres primi episcopi huic missioni destinati sero tantum consecrabantur. Nomina horum congreganistarum sunt: Franciscus Pallu, Petrus Lambert de la Motte, Ignatius Cottolendi. A. 1662 tandem duo episcopi cum duodecim presbyteris missionem suam petere potuerunt, antea iam bene constituto seminario missionum.

Et ex illo tempore missionarii " huius Societatis cum Nostris laborant in illa terra; et inter suos Beatos etiam sodalem numerant, qui pro isto populo sanguinem fudit: Theophanum Venard, quem Pius X., an. 1909, catalogo Beatorum ascripsit.

Notum est, aliam congreganistam, S. Theresiam a puero Iesu, peculiari amore hanc missionem prosecutam esse quasi *suam.*

(1) V. Unsere Fahne (Viennae 1914-5, p. 87). Hist. Gen. de la Soc. des Missions Étrangères, LAUNAY, tom. 1, p. 13.

VIRI DOCTISSIMI SODALES.

I.

Alexander Volta. (1)

Natus erat vir celeberrimus 18. II. 1745 in urbe Como, ubi etiam mortuus est 5. III 1827. In eadem urbe professorem lycei a. 1774 - 78, Paviae vero in universitate a. 1778 - 1819.

Non pauca documenta pietatis et fidei huius viri extant. Adducimus hic aliqua quae spectant ad eius devotionem erga Matrem Dei.

In atrio domus ab infantia ad senectutem usque salutabat imaginem B. V. quam etiam floribus ornabat et lampada sabbatina. Duodecim a. natus, collegium Societatis studiorum causa adiit. Principatum progressus inter condiscipulos semper obtinebat non solum in litteris- sed etiam in pietate. C.i marianae nomen dedit. Parentes secus pii, timentes ne puer fieret jesuita, Alexandrum in aliam scholam miserunt; ipse vero nihilominus Patrum C.m, dictam " Nobilium " adibat quam ad aliquod Oratorium dirigebant.

A. 1777 in Helvetia degens, peregrinationem instituit ad celeberrimum sanctuarium Maria Einsiedeln. Parisiis degens a. 1801 fratri Aloisio scripsit " dic carissimis filiis meis, ne obliviscantur recitare Ave Maria pro me, sicuti ego non obliviscor huius pii officii erga ipsos. „ Sed minime ei sufficiebat recitatio salutationis angelicae; cotidie, etiam iter faciendo, rosario honoravit B. Virginem. In hac schola pietatis vir doctus didicit humilitatem aliosque virtutes d. Matris. Per plures annos in ecclesia ubi ipse baptizatus fuerat, S. Donnino, Como- professor doctrinam christianam pueris explicare non erubescebat, neque adsistere inter rudes explicationi quam adultis fecit parochus. Cotidie missae interfuit. Sanctissimum vespere visitabat. Frequens accedebat ad tribunal poenitentiae et mensam sacram. Die quodam reliquens universitatem Paviae, sacerdos a paucis hominibus deductus ss. sacramentum ad moribundum portabat. Ante omnes alios professores et discipulos, Volta non solum genua flectebat adorando, sed non obstante adversa tempestate, etiam comitabatur Deum suum. Saepe precabatur ante crucitixum ecclesiae Annuntiatae. Cons. Beneficentia erga pauperes excellebat; item veneratione erga Papam.

Animam suam Deo piissime et omnibus morientium sacramentis munitus, osculans crucifixum, post verba: " Domine, in manus tuas „. . . . reddidit.

Cf. CARRARA S. I. *Il sommo fisico Alessandro Volta*, Treviglio 1918. Kneller S. I., Das Christentum und die Vertreter der neuren Naturwissenscha t. 2 - 4 Freiburg 1912, Herder; p. 145 ss.

II.

Hyacinthus Laënnec.

Natus erat 17. II. 1781, in urbe Quimper, parentes. habuit parum catholicos. At veritatem quaesitam mox inventam, amplectabatur toto animo. Cum aliqubus optimis collegis amicitia instituit, quibuscum, medicinae studens, ludibria et ludificationes acatholicas tum magistrorum tum condiscipulorum vincebat ingenii acumine et salibus. Viginti annos natos, studia absolvit duobus primis praemiis et artis medicinae et chirurgiae obtentis Ab amico Bailly, etiam medico, in C.n Parisiensem ductus, die 27. III. 1803, sodalis receptus est. Obiit 13. VIII 1826.

Novas vias arti suae salutiferae aperuit " auscultatione „ et invento instrumento " stethoscopio " huic auscultationi adaptato. Methodum ab ipso inventam, licet aliqantulum perfectiorem redditam, usque ad hodiernum diem sequuntur Ipse etiam hac methodo varios cordis et pectoris morbos declarare potuit.

Ergo vir notissimus, praeclarus scientia. Sed praecla-

rus quoque pietate, solida, simplicissima: illa - nam Bretonus erat - quem postea Pasteur tantcque laudabat: pietate agricolae Bretoniae. In conferentia quam consodalibus aliquando fecit de verbis evangelii: "Ego sum via, veritas... nemo venit ad Patrem nisi per Me „, verbis commoventibus mala athei describit; pio colloquio ad Dominum bonam mortem efflagitat. A. 1814 in nosocomio multos milites ex terra patria sua habet, qui in moerore sunt quia ignorant linguam gallicam. At Laennec eos consolatur, fidem vivam conservat. In vico Ploaré, ubi mortuus est, omnibus diebus Dominicis sacro intererat et processionibus, manu cerum tenens,rosarium recitans. (1) Parisiis, procoeton ante parlatorium eius vocabatur „parvum oratorium," nam nihil ibi erat praeter aliquas sedes nisi imago Crucifixi et scabellum ad genuflectendum.

Caritatem exercebat per totam vitam.

Ita magnus medicus ,simul optimus congreganista erat. (2)

1) Aliquando in itinere curru excussus, rede iterum recuperata, absque ulla commotione ad uxorem plus agitatam dixit: „ eramus in dicenda tertia decade rosarii, pergamus!"

2) V. Grandmaison, La Congrégation 2, p. 33-5; Kneller, l. c., p. 413; The Catholic Encyclopedia, New York, s. v. Laennec

Epistolae ad Editorem.

DE CCbus JUVENUM

Ni fallor A. O. p. 1-2 aliqua asseruntur quae probari nequeunt. Ita ex. gr. CC. virorum, mulierum... a Ce . iuventutis operariae omnino et totae quantae " differre „ in scopo practico et opere practico; ratio additur: quia Imago Mariae V. animis variarum classium et aetatum hominum aliter et aliter obversatur „. Quod quadantenus obtinet quin tamen ideo scopus et opus Cis mutari debeant, si Cis. essentia, finis, et methodus colendi B. Virginem recte intelligantur. Minime sufficit, unionem aliquam catholicorum plus minusve religiosam colere, etiam " ex officio „ et statutis diebus, Matrem Dei, ut haec unio dicatur C. mariana. Oportet prae oculis habere *missionem* Mariae circa homines salvandos, ut bene notatur in A. O. pa. 7. Et propter hanc missionem B.Virginis sodales omnino se ei devovent in coetu *omni parte religioso* tamquam duci ad Christum Deum et hominem, qui vivit in coelo et in terra. In Ce . mariana non coordinantur sanctificatio propria, apostolatus, devotio erga B. V., sed ex solido et vero cultu Matri Christi *necessario* efflorescit et germinat vehemens desiderium sanctificationis propriae et salutis animarum obtinendae, magisterio, exemplo, precibus Reginae coelorum.

Locus sit quaestioni: quot ex illis multis iuvenibus suam Cm ita intelligunt? Quot serio et constanter volunt fieri *veri sancti?* Quod tamen, ni fallor, velle debet quicunque notionem claram et rectam de C.e habuerit. (Sine dubio; notio cultus nostri mariani cum sequelis suis optime hic enucleatur. Editor).

Pulchra hac de re scripta sunt in A. O. p. 1-2. Tot iuvenes Christum ducem sequentes et B. M. Virginem honorantes: sine dubio animum sacerdotis permovent. Attamen uniones ibi descriptae non sunt CC. marianae, sed uniones catholicae, cultui B. V. etiam deditae, hodie absque dubio maxime necessariae. Ad intimum sensum Cis. non intrant, summa decerpunt etsi nomine Cis utuntur. Illo optimismo auctoris quo duas tertias partes istarum 4000 unionum germanas CC putat, multi sacerdotes periti tum saeculares tum e Societete haud ambigue et fortiter mecum adversatur. Novi Patrem eiusdem provinciae Germaniae qui multum cum CCbus egit, quique tristis exclamabat: " tot CC. in Germania aggregantur, attamen fere nulla vera c. est! „ Alius P. hodie mediis in rebus operans asserit, vix unam quintam partem illarum CCum. iuvenum vera CC. esse. Similiter alii. Legimus in " Stimmen der Zeit „, quod in CCbus iuvenum in Germania occidentali hodie vix pulsus vitae sentitur, et quod comparatio inter tempus nostrum et illud S. P. Canisii vehementer percutit animum, quia tunc ex his CCbus fons vitae prorumpebat qua mundus renovabatur.

Ergo videtur quod ex illis CCbus paucae verae CC. sint, licet bono spiritu agantur. Si quis id efficiet, ut redeant ad genuinam notionem et constitutionem Cum., multum fecerit ad augendam vitam vere christianam atque salvandas animas iuvenum.

S. B. M.

Nota Ed. Constat *istis* CCbus iuvenum (pariter ac virginum) de quibus sermo fit, multos iuvenes incolumes servatos esse fidei sanctae et bonis moribus tempore belli et annis subsequentibus. Attamen pariter constat *non paucos* socios illarum CCnm vexillo B. Virginis valedixisse, quod ipse auctor insinuare videtur dicens ex 50-60 adolescentibus coetum iuvenum ingredientibus post scholam, ne 15-20 quidem remanere quando ad 20 circiter annum adoleverint.

Certe spectaculum pulcherrimum praebetur angelis et hominibus a iuvenibus quando unoquoque mense ad s. communionem una accedunt centeni. Attamen, ideo nondum sunt veri sodales. Nonne hoc idem etiam faciunt viri quod dicunt apostolatus virorum quod in Germania iure merito maxime fit; et C. bonae mortis, archiconfraternitas Ss. Cordis etc.? Haec vero communio mensilis multorum iuvenum (vel etiam virorum, matronarum...) proh dolor! non paucis Nostrorum, non solum in Germania, sufficere videtur ad essentiam bonae Cis! Quadam " suggestione „ et dicere vellem, errore fanatico magni numeri aguntur; ecclesia plena hominum summum esse videtur ad quod adspirant. Quod si obtinent ope alicuius, cuiuscumque demum coetus vel confraternitatis, contentissimi sunt remque facile vocant Cm vel si alia unione id obtinent, de Ce nullam curam habent. C. mariana vero omnino aliquid aliud est ac pietas ad aliqua exercitia limitata et modo militari organizata. Quod C. mariana a sociis suis postulat tam altum tamque asperum est, ut pauci tantum selecti homines ad veram perfectionem adspirantes et zelo animarum consumpti id ex intimo animo magni facienti et omnibus viribus amplectantur.

Quare ne subiiciamus nos tyrannidi numeri magni neque pulverem oculis nostris iniici sinamus conspecta turba magna in aede sacra.

Opus quo zelus omnium congreganistarum inflam mari fortasse poterit, hoc erit: die 5 iunii 1927, dominica post festum " Mariae omnium gratiarum mediatricis „ s. communionem hac intentione permagna offerre, ut Mariam esse sequestram gratiarum omnium mox ut dogma fidei definiatur. Iam multae cc. ad hanc intentionem orant seque obligabant solemni promissione ad defensionem huius privilegii mariani. Optandum est, ut omnes cc. idem faciant. Quare enixe rogamus directores omnes ut fervido verbo et tenaci opere hanc actionem marianam promoveant ut mox fiat " internationalis „ nec non nova corona et gloria cis. et Societatis Iesu.

L. R.

Absque dubio sodales ad magna opera interna et externa instigare debemus. Quia directores a congreganistis suis nihil magni exigunt, fervor minuitur, tota c. languescit. Attamen dubitare licet, utrum omnibus omnino CCbus. idem proponendum sit, ut vult P. aliquis (A. O. p. 2). Etsi ubique terrarum omni tempore idem triplex hostis debellandus est, tamen non eodem modo. C. mariana vero ibi aggredi debet, ubi maius periculum exsurgit praecise nunc et in propriis terris.

Liceat mihi quaedam mala innuere quibus exstirpandis sodales simul cum omnibus aliis hominibus bonae voluntatis operam dent tum oratione assidua, tum aliis mediis.

In aliqua Belgii regione inter 100, sunt " civilia „ matrimonia 40; funera 35-40; inter 100 infantes non sunt baptizati 10-15; inter iuvenes salario pro locato labore fruentes 90 % iuvenum, 80 0/0 puellarum religionem non exercent. Aliquae ephemerides associationis iuventutis cath. vehementer conqueruntur quod ab a. 1914 numerus sociorum associationis augebatur quidem viciens, numerus subscriptorum ephemeridis associationis vero vix bis quia duae partes sociorum nullam ephemeridum iuventutis legunt.

His similia in pluribus Galliae regionibus inveniri, notum est.

Viennae in Austria, sicut in omnibus maioribus urbibus Europae et Americae sept. " timor infantis „, crimen abortus, usus matrimonii prohibitus communis est. Anno 1926, 23,000 infantium nati, 25,000 hominum mortui sunt; anno 1906, nascebantur 55.383, sepeliebantur 33.973. Anno 1910, a 1000 mulieribus in lucem editi sunt 70 liberi; 1926 vix 35.

In Statibus Unitis, 60.000.000 hominum nulli « ecclesiae » adhaerent; in urbe New-York 70.000 infantes scholas frequentantes absque instructione religiosa educantur.

In Germania, Ecclesia per matrimonia mixta uno anno 1924 perdidit 65.167 animas; ab anno 1915-1924 in 10 maximis urbibus 92.244; numerus alumnorum theologorum a. 1922 adhuc 3161, a. vero 1924 solum modo 2898 fuit.

In Cechoslovakia fidei catholicae ultimis temporibus 1.387.980 homines renuntiabant.

In aliis terris quae nomine catholicarum gloriantur vix unquam virum in aede sacra conspicis; imo, in aliquibus regionibus mulieres quoque paucissimas; clerus satis agressus; instructio religiosa populi valde manca et superficialis.

Et ita nescio quot necessitates nos urgent ad precandum, sacrificandum, laborandum. Nunquam magna satis erit contentio nostra.

Mea quidem opinione maximum opus semper erit sanctificatio propria c ius sequela necessaria apostolatus zelo plenus erit. Si volumus esse apostoli et educare apostolos, simus ipsi sancti et instruamus sanctos.

M. I.

Mea opinione opera grandia misericordiae — Sp. Sanctus nobis 14 ostendit — revera abundant, dummodo sodales manus movere velint. Et traditio Cis. aeque ac regulae eius, nec non litterae Praepositorum Societatis viam attendunt, methodum, finem laboris in Ce; quare puto, iam satis provisum esse operibus suscipiendis.

C. G.

Nota Editoris. Absque dubio haec ita se habent. Ex altera parte negari non potest, mutuo concursu directorum qui opinionem tuam dicunt in A. O., rem nostram multum promoveri posse. Id vero dicam: opus aliquod omnibus CCbus communi contentione executioni mandandum vix inveniet. Cogita tantam diversitatem et varietatem sodalium: habemus pueros, iuvenes, viros doctos rudesque..... Porro, neque utiliter « energiae et voluntates omnes ad unum solum finem tendent. C. facile nobilis sit oportet ibique primam aciem occupet, ubi maximum periculum in mora est; quod vero non est idem in omnibus terris, conditionibus.

De cetero, nonnulla sunt quae etsi non ab omnibus, tamen multis CCbus executioni mandantur; et quidem talia quae etiam a S. Pontifice et Episcopis ut valde necessaria commendantur; v. g. modae et saltationes hodiernae; charitas non solum quasi organisata frigida, communis; sed personalis, ex animo, omnia sua dans semper, ubique, omnibus pariter hominibus; charitas illa cuius laudes nunquam satis meditandas pulcherrima pagina descripsit Apostolus c. 13 ep. 1 ad Cor.

Unum est quod insuper in considerationem venit: proprie « imponere » opus commune CCbus omnibus tantum S. Pater potest. Sed nobis et nostris sodalibus sufficiet scire desideria quin attendamus mandata S. Pontificis, ut executioni nos demus quin tamen alia opera quae etiam faciunt ad actionem catholicam et apostolatum negligamus.

DE ALIQUIBUS CCbus LUDIMAGISTRARUM ET MAGISTRORUM.

Inter adultos laicos forte raro inveniemus homines **unius** conditionis qui tam bene ad cm. coadunantur, sicuti ludimagistri et magistrae. Unde jam ex hac parte ad cm. convocandi sunt, nam scopus cis optime intenditur tunc, quando sodales eandem specifice artem profitentur. Accedit, quod ars et officium ludimagistrorum summi momenti est in se ipso spectato et quod catholici homines huius conditionis excellere solent mariano spiritu ad multa sacrificia parato.

I.

Philadelphia (America sept.)

Ita c. in urbe Philadelphia, a. 1915 a 15 ludimagistrabus erecta, socia alius vitae status non admittens, tamen jam 150 superavit et bonis operibus floret.

Conveniunt omni fer. II, h. 4,30 p. m. excepta illa die quae sequitur 2. dominicam mensis qua ad communionem generalem accurrunt, quacum recollectio menstrua semper coniungitur. Initio maiorum vacationum per 4 integros dies exercitia spiritualia subeunt. Regula cis postulat ab omni congreganista societatem duarum sectionum quarum una prosequitur salutem propriam, altera apostolatum. Sectiones sunt: acûs; abnegationis propriae; boni preli et litterarum; altaris; animarum in purgatorio; reparationis pro peccatis; missionum; visitationum Ss. Si.

Pro defuncta socia praeter preces reg. 45 praescriptas, alia communio et rosarium offeruntur; aeque missam dici curat C. pro defunctis familiae sodalium; unoquoque anno missa pro omnibus mortuis familiarum congreganistarum, alia missa pro ipsis sodalibus defunctis. Missa et communione generali etiam illas socias comitantur quae in statum religionis vel matrimonii transeunt. Gaudet haec c. propria domo pulcherrime sita pro vacationibus.

Duas " bursas „ in collegio S. Ioseph colligebant. Modo altare erecturae sunt in memoriam P. Elder Mullan qui cem. „ unam ex perfectissimis in America fecit „. (V. The Queen's Work, 1927, p. 76).

II.

Viennae (Austria)

In hac urbe, ludimagistrae cc. constituunt, quarum maior pars a Nostris dirigitur. Ex quibus unam assumamus quae exemplo laboris sit.

Condita est a. 1909 ut sectio alterius Cis.; independens facta et P. Primariae aggregata a. 1916. Hodie sibi 120 sodales adiunxit quae frequentes conventibus (feriae II.) adsistunt. Quod ut facilius fiat praeter congressus consuetos et communionem generalem ab anno 1925 etiam 2. dominica mensis coetus habetur. Sodalibus impeditis relatio scripta de gestis factisque mittitur. Plures bis in mense ad conficiendas vestes sacras et dona pro pauperibus considunt; nam non minutas summas expendunt ad adiuvandos egentes, missiones, ecclesias.... Ad sublevandas proprias consodales inopes et infirmas; item, ad sublevanda exercitia spiritualia tum sociis suis aliquibus tum discipulis; ad alendas pupillas; ad alios tandem fines charitatis peculiares arcas nu-

triunt tum numeribus ordinariis tum lucro ex academiis.... facto.

Multae ex sociis tempus, pecunias, vires dant operibus iuventutis salvandae, negotiis propriae conditionis; nosocomia puerorum visitantes non solum afferunt dona, sed infirmorum aures parvis academiis permulcent; huius cemodi academiis aliquoties, in anno etiam suas socias delectant. Cum aliis CCbus ludimagistrarum semel in anno solemniorem conventum celebrant ut maiore vi et pondere communia consilia executioni mandari possint et ut seipsas denuo confortent ad nunquam intermittens luctamen contra pessimos et infensissimos hostes fidei qui sortes scholae istius urbis ducunt.

Quotannis vacationes maiores incipiunt secessu sacro; inde ab anno 1922 saltem sex dierum; dies recollectionis proprias per annum non omittunt.

III.

Monachii (Bavaria).

Exemplum Austriae sequentes, ubi plures CC. ludimagistrarum a multis annis florebant institutrices Monacenses a. 1915 fundamenta suae sodalitatis iecerunt. Initio anni currentis numerabat socias 780 quarum 430 in ipsa urbe; aliae ruri degentes in 13 turbas adunantur. Per totam erga archidioecesim **una** C. habetur, cuius sedes Monachii, ubi bis in mense convenitur: semel in aede sacra, semel alibi; circiter sexies in anno 13 circuli proprios consessus tenent cum ratione tum sacra tum profana, copia confessionis...

Sectiones ortae sunt, prout earum necessitas sentiebatur, hae: eucharistica, charitatis, ascetica, exercitiorum iuventutis, S. Caeciliae, imaginum lucidarum (1922); usque ad annum 1926 iam 570ies hae imagines monstratae erant publice. Anno 1918 in lucem edebant ephemeridem suam " Virgo Mater " quae nunc ab omnibus sodalibus ludimagistrabus Bavariae legitur. Multae magno cum successu fovent CC. puellarum magis magisque a clero aestimatas. In coemeterio grande spatium pro sociis obtinent.

Opus vero praeclarissimum Cis perficit sectio pro exercitiis puellarum quae scholas publicas, absolutis studiis, derelinquunt et fere ex inopinato innumerabilibus periculis maiorum urbium opponuntur quibus difficulter resistere valent. Tristissima experientia edoctae, aliquae ex sodalibus a. 1920 prima vice paucas discipulas ad veras exercitia duxerunt quod duobus annis subsequentibus repetierunt. A. 1923 tandem sectio propria huic operi providendo constituta est; inter duas hebdomadas quadragesimales 560 puellae a 27 sociis sectionis deductae sunt ad 9 tridua; postea aliquae sequebantur. A. 1924 triduis sacris intererant 918; a. sequente 768; a. 1926 vero 1030 puellae quibus tempus et curam suam devovebant 45 magistrae. Sodales expendebant pro his exercitiis 6333 M. Alternis mensibus convocant pristinas exercitantes ad recollectionem. Em. Card. Archiep. Dr. Faulhaber magnopere adprobat haec exercitia.

Media ad promovenda haec exercitia sectio inter alia adhibet: Orationem et sacrificia; vitam propriam compositam iuxta doctrinam exercitiorum; consessus frequentes sociarum ad tractandas res exercitiorum in genere et iuventutis in specie; commercium nunquam intermissum cum parochis et cum associationibus tum sacerdotum catechistarum, tum parentum; bibliothecam.

Huic florenti Ci. praeest P. V. Hugger S. I. Ipse quoque est praeses unionis omnium CCum. ludimagistrarum per Bavariam. Annus 1921 hoc foedus omnium dioecesium CC. institutricum inierunt. Omnes CC. in magistratum hunc generalem suas mittunt delegatas; semel per annum conveniunt; bis vero singulae CC. referunt ad praesidem communem qui ad tres annos eligitur.

In aliis dioecesibus non est unus idemque modus dirigendi has CC. In pluribus unicuique Ci. proprius praeses ab Ordinariatu assignatur; in alia **unus** praeses per totam dioecesim habetur (sicut in archidioec. Monacensi) qui vero singulas CC. non ipse, sed per sacerdotes delegatos dirigit. Patet, optimam methodum adoptatam esse Monachii ubi *tota* C. ab una eodemque directore totam curam accipit; ita doctrinae, virtutis, virium concentus facile obtinetur.

IV.

Düsseldorf (Rhenania).

Cm. qua melior et statutis Cis. communibus consentiens vix invenietur P. Canisius Berninger dirigit. Sunt quidem interim 12 solummodo socii. At, ex illis iunioribus ludimagistris qui coetibus confratrum suorum praesunt; nullus alius admittitur. Ergo verus delectus, C. ducum habetur. Unus praeest organisationi ludimagistrorum per totam provinciam, alii dirigunt omnes socios in magnis urbibus. Conveniunt unaquaque die Dominica propriis sumptibus ad residentiam nostram ex pluribus urbibus 20-30 km distantibus. Conventus ita absolvuntur: $9^1/_2-10^1/_4$ " formatio ducum, " i. e. instructio ascetica his ducibus magistrarum iunioribus apprime adaptata. Postea per horam " applicatio ducum practica ", i. e. conferentia de mediis hac in sequente hebdomada adhibendis quibus vitam religiosam magistrorum sibi commissorum promovere poterunt. Finem faciunt exercitia pietatis in Ce. consueta.

Hanc suam operam in Ce. mariana P. B. cum socio extendit, sodales suos cum vigore sustentat triplici modo, quo curam suam et sollicitudinem omnibus huius conditionis viris et feminis affert: 1) *recollectionibus menstruis* in 49 urbibus habitis; adsistebant unoquoque mense circiter 800 magistri et 1000 magistrae; 2) *cursu philosophico* per 2-3 annos (semel vel bis in mense binas horas in urbibus; (3) *exercitiis spiritualibus* quae a. 1926 subierunt 1050 magistri, 2950 magistrae; quae ut quam maximo emolumento dentur, mense novembri per integrum diem invitantibus nostris, multi sacerdotes qui exercitia institutoribus tradunt tum ex clero saeculari tum regulari (ex gr. O. S. B., O. Pr., O. F. M., O. M. Cap., S. V. D., O. M. I....), ad conferendum convenerunt.

Nunquam satis commendandum tale opus vere apostolicum et filio Societatis Iesu dignissimum! Si associatio internationalis magistrorum socialistarum saltem unum socium in unaquaque schola intrusum habere vult, quanta assiduitate et fortitudine nos nostros, imprimis sodales sustentare et per Mariam ad Christum ducamus oportet!

Ephemeris aliqua sodalitatis ante paucos menses CC. ita hortabatur: " Multae CC. carentes traditione organisationis, haesitant, antequam aggrediuntur conventum consultorum vel opera charitatis similiumve, quia timent haec omnia multo difficilius executioni mandari posse in praxi quam conscripta sunt litteris. " Quapropter editor rogat lectores peritos, ut ipsi referant de rebus gestis, rationem verissimam dans hanc: Consuetudo experientiae mutuae medium fecundissimum est suffragandi rei sodalitiae.

Ad quae duo notari liceat:

1. ad quale genus sodalitatum pertinent illae CC., de quibus hic sermo est? Mira C., quae non celebrat conventus ordinarios consilii sui (vide regulas communes 50 ss). Neque tota est in exercendis operibus charitatis. Peccat contra essentiam Cis. *marianae* neque hoc nomine glorioso digna est, cum ad hanc Cm. necessario pertinet " activitas " charitativa (v. reg. com. 1, 12, 42, 43).

Quid tunc miramur, si Cm. marianam a multis omnino non aestimari, ut pianum devotularum unionem contumelia affici audimus? Assidue et impigre, cum labore et industria, omnes Nostri, praeprimis nostrae ephemerides omnes contra conceptum Cis. marianae tam praeposterum et depravatum exsurgere debent; directores vero curare, ut CC. quibus praesunt, diligenti observatione statutarum generalium, CCbus. ab aliis directis exempla sint et lumina.

2. Communicatio experientiae mutuae etiam Nostris utilissima et gratissima est; et pertinet ad officium boni directoris qui Cm. marianam vere promovere studet *quam maxime*. Is praecise etiam est finis unus nostri folii " Acies Ordinata ", ut tanta bona, eximia aeque ac modesta et ardua, Fratribus toto orbe terrarum dispersis nota fiant ad aedificationem, exemplar, adiumentum.

" Non habeo tempus ad scribendum neque meipsum extollere volo. "

Sume tibi tempus, optime Pater: exercebis opus charitatis erga eos qui tibi proximi sunt et maximum iure gaudent ad percipiendos fructus actionis tuae: Fratres in religione. Et, si placet magis tibi, tacebimus nomen.

DE CONGRESSU CCUM MULIERUM die 21, 22 XI habito in urbe Talca (Chile)

Eodem die in eademque urbe quo foedus CCum virorum etiam illud feminarum consessum celebravit, cui pariter Nuntius Apost. interfuit. Agebant aliquae sodales de perfectione religiosa, morali et sociali congreganistae observantis regulas suas; de modestia et moralitate, de necessitate " vitae interioris „ de augendo numero vocationum ecclesiasticarum; de apostolatu in " patronatu „ in scholis et per catechesin; de spiritu bono familiae; de unione " iuventutis catholicae femineae „ eiusque voto ut ubique condantur CC. marianae puellarum tamquam nuclei vel soles radiantes calorem et vitam ceteris puellabus istius unionis.

Resolutiones acceptae: 1) Candidatae non solum leges Cis cognoscant, sed etiam exercitia spiritualia subeant antequam admittuntur; 2) societas fundanda eiusdem finis ac illa S. Fr. Regis (ut matrimonium sanctum servetur), praesertim pro vicis; 3) adlaborare ut in scholis puellarum instructio religiosa et moralis magis practica fiat; 4) manum formare quae frequentes conferentias instituit de religione et moralitate tam familiarum quam populorum.

(Cf. Efemérides Marianas, 1926, p. 380–382).

Fontes exhortationum

Quae sodalibus faciendae sunt a pluribus directoribus, praesertim cleri saecularis, multum desiderantur. Quare P. Fr. H. Frey optimum opus perfecit qui mense martio Viennae in Austria ad conventum praesidum hac de re dicens, libellum 13 pp. polycopia scriptum praesentibus praesidibus distribuit, aliquibus interpretationibus additis.

Academia mariana

Theologorum collegii maximi prov. Germ. infer. *Valkenburg* hoc 4. anno laboris sui de his agit: Nos e Societate cm marianam ut medium ad perfectionem egregium cognoscamus et aestimemus oportet; officium triplex Cis eorunque relationes inter se; sanctificatio propria; apostolatus, sequela necessaria perfectionis propriae; cultus B. M, fundamentum aureum et nota characteristica Cis; officia sodalium; quid a bono praeside expectatur et necessario poscitur; praefectus et magistratus C, secundum ius can. et Epitome S. I.: structura statutorum Cis; P. Costerus et opus suum Coloniae; P. Rem et opus suum Dilingae; praeses iuvenum hodiernus; P. S. Soye et opus suum Basileae; c. eiusque labores in urbe maxima nostrorum temporum, etc.

Enixe rogamus

Omnes Nostros, ut ad secretariatum CCum mittant benigne specimina omnium librorum, libellorum ephemeridum etc. quae in lucem edunt circa CC. et circa B. V. Mariam eiusque cultum.

Et iterum interrogamus; Paulina Jaricot, eratne sodalis B. Virginis? Et P. Marquette celeberrimus missionarius?

EX VARIIS CCbus

Romae, et per provinciam, cum fervore laborat C. *Ancillarum Mariae Immaculatae*. Lintea sacra pro ecclesiis pauperibus confecerunt, item pro missionariis nostris in India et Iaponia; vestibus donabant indigentes, imprimis infantes ad primam communionem accedentes, quorum multos instruxerant, triduo sacro adiuverant; curabant ut valida fierent matrimonia illegitima, conversionibus et abiurationibus praeludebant aliosque homines ad Deum reducebant etiam eo quod non paucis animum ad exercitia spiritualia iniciebant. Languentes CC. marianas ad uberiorem vitam excitabant; infirmis in nosocomiis multam consolationem adportabant. Centenos libros pios ante omnia catechismos, item rosaria, scapularia, 30,000 opuscula et folia volantia de sacramentis, exercitiis agentia, distribuebant. Variae sectiones sanctificationi propriae inserviunt.

Venetiis, C. virorum ad ecclesiam nostram 4 annis ante opus creaverat pro sustentatione monialium earum quibus ea desunt sine quibus aegre vivitur. Mense ianuario huius anni 14,000 L. ital. 200 monialibus sex diversorum ordinum religiosorum distribuerunt.

(V. *Stella Mattutina* 1927, p. 89–92).

Sectiones c. S. Stanislai *studiosorum iuniorum Bilbao* has habet: 1) *pro studiis;* socii unaquaque hebdomada conveniunt vicissim conferentiam, commentarium proponentes; veritates fidei propugnantes, discutientes 2) *catecheseos;* opus iam per 16 annos floret; sex turmae plus quam 1000 parvulos instruunt; 3) *pro missionibus;* congressibus et conferentiis notas faciunt missiones quibus dona quoque tribuunt; 4) *excursionum eucharisticarum:* socii in aliqua ecclesia, etiam vicorum, s. communionem accipiunt inter missam ad quam frequentissimus est populus ad quem etiam loquuntur de communione quotidiana; 5) *visitationis pauperum senium* in asylo.

Sodales universitatis (Loyola) in urbe *Chicago* per sectionem litterariam varia perficiunt vendent et distribuent periodica inter socios suos, in nosocomiis...; scribunt articulos pro ephemeridibus; impellunt alios ut in publicis bibliothecis postulent libros catholicos.

Magistratus huius Cis fungitur pro tota universitate " studentium concilio spirituali „, cum directore suo deliberans de necessitatibus et rebus practicis vitae spiritualis, de operibus apostolicis omnium studentium sociorum.

Ut in n. 1 huius annis p. 4, relatum est *rex, Hispaniae* eiusque *filius*, princeps Asturiae, sodales sunt. Sed et ipsa *regina Victoria* nomen dedit Ci marianae. Et ante breve tempus etiam eius *filiae Beatrix* et *Christina* (1).

Duae sodalitates seminarii pontificii *Villa-Devoto* (Buenos-Aires) mense decembri mediante consilio supremo CCum reipublicae Chile, episcopatum orabant, ut a S. Sede missam expeteret *ad petendas vocationes* cui voto episcopi ad conferentias considentes acquiescebant aeque ac altero voto ab eisdem proposito: ut S. Sedes die Immaculatae Conceptionis concederet indulgentiam plenariam toties quoties, saltem in republica Chile lucranda.

(V. Efemerides Marianas, 1927, p. 30-32).

Antiqui alumni collegii nostri *Liverpool* ante quinque annos Cm condebant quae nunc iam 300 sodales nume-

(1) Sodales, non solum natu sed praeclarissima vita christiana eximii etiam sunt *Fridericus Augustus III*, rex Saxoniae, et *Zita*, imperatrix regina.

rat. Conventus fiunt octavo quoque die; semel in mente conferentia fit de materia aliqua catholico homini scitu necessaria.

---

900 numerantur sodales Cis puerorum studiosorum *Santander*. 12 duces huius turbae curam gerunt. Mense novembri 1926 " iubilaeum aureum „ Cis celebrabant. Quotannis exercitia sacra subeunt primis 4 diebus hebdomadae sanctae. Ad attentionem et zelum augendum ad finem instituunt concursum litterarium circa materias tractatas; praemio ante duos annos dabatur " magnifica machina photographica „. Sectio " missa diaria „ non multos socios habet; " frigus, timor catarrhi, studium „ sunt, ut alibi, quas dicunt " rationes „ quibus multi impediuntur, ut candide fatetur chronista. Aliae sectiones sunt: opus missionum, catechesis. Maxime proficiunt omnes eo quod unoquoque mense directorem adire et scripto rationem reddere debent de missa cotidiana, communione, zelo pro missionibus catechesi, amicis.

Multam consolationem omnes afferunt conventus Cis surdo-mutorum urbis *St. Louis, Mo.* Conventus more solito celebrantur; sermo ut patet, signis profertur.

Pariter *leprosis* insulae *Culion* (Philippinae) qui gaudent CCbus pro viris, pueris, mulieribus, puellis C " maximum auxilium spirituale, beneficium materiale, vis moralis est in doloribus corporis ac mentis angustiis propter separationem a familia, et multum tribuit ad erigendos animos fere desperantes itemque ad bonam mortem „, ut asserit P. Millan, S. I., qui eorum curam agebat ab anno 1915 usque ad annum mortis suae, 1926. (V. The Queen's Work. 1927, p. 68 ss).

LIBRI NOVI

R. Wickl S. I., **Marienherrlichkeiten.** Innsbruck, Marianischer Verlag. 343 pp.

Notissimus auctor 32 sermonibus, dogmatice solide fundatis, pulchre scriptis, gloriam B. Virginis praedicat. Liber et directoribus et sodalibus gratissimas.

(*I. Rutten S. I.*), **Handbock van den Raad** in de Mariacongregaties van jonge Dochters. Brugge, Korte Winkel 10. 55 pp.

Officia communia et particularia officialium in CC. virginum optime elucidata.

TELEPHONIUM EDITORIS

P. F. P. Quoad **communionem generalem** stemus reg. 8 ex communibus, non obstantibus difficultatibus quas aliquando sodales, forte non fervidiores, movent. Nostram faciamus dictum Cardinalis Monacensis, Dr. Faulhaber, quod 3. X 1917 coram sodalibus pronuntiavit: com. gen. esse quasi mensuram expromptae actionis religiosae. — *P. I. L.* Nullo modo C. in res politicas abripi permittamus! S. Pontifex iam " actionem catholicam „ liberam esse vult ab his rebus; multo magis ab illis abstinendum est Ci. Quo non dicimus, sodales aequis oculis istas res considerare posse! E contra, etiam ibi officia hominis catholici strenue adimplere debent. — *P. O. D.* CC. marianas legibus reipublicae subicere, res nova et miranda est, quae tolerari nequit nisi ipsa S. Sedes id permisisset de aliquod " concordatum „; id vero apud vos minime obtinet iam ideo quia ibi tale concordatum " non viget. — *P. F. Z.* T. P. J. Agüero, Habana, L. 213.97.

DE CONGREGATIONUM MARIANARUM REGIMINE ET DE EPHEMERIDE " ACIES ORDINATA „

(Ex epistola quadam Adm. Rev. Patris Nostri, Wlodimiri Ledochowski, scripta die 10 martii, 1926. Vide « *Acta Romana* », Vol. V, Fasc. III, Anno 1927, pag. 574).

" In litteris nonnullis ad viros saeculares datis et etiam in aliqua ephemeride a Nostris edita, vidi plus semel mentionem fieri de periodico " *Acies Ordinata* „, quod ut in eius fronte aperte dicitur, ad usum Nostrorum solum editur. Nullo ergo pacto est nisi inter Nostros nominandum; eius enim mentio non aviditatem solum illud cognoscendi excitat, sed ius etiam quoddam tribuit ad illud cognoscendum.

Item reperio in scriptis ad externos destinatis, Praepositum Generalem Societatis saepe exhiberi ut supremum Moderatorem omnium Marianarum Congregationum, atque ita expressis verbis appellari. In quo error committitur: etenim verum illud est si de solis agitur Congregationibus, quae a Patribus Societatis diriguntur; etiam est verum nonnullam eum indirecte exercere potestatem in ea quae ad Primam Primariam aggregari desiderant, siquidem illas Praepositus Generalis non aggregat, nisi earum videat regulas genuino harum Congregationum spiritui consentaneas. Illum tamen generalem modum loquendi, quo Praeposito Generali iurisdictio veri nominis in omnes Marianas Congregationes tribuitur, ut ex dictis patet, amor veri vitare cogit; suadet autem et prudentia, ne alicuius animum irritemus, cum omnes nunc generatim Congregationes nostra consilia benevole sequantur „.

NUNTII BREVIORES

Scholastici *Philosophi* Collegii **Heythrop** (prov. Angliae) magno cum fervore et successu, rem *Cis.* excolunt in sessionibus *academiae marianae.* Egerunt v. g., de Ce. in Canada; C. idealis secundum litteras A. R. P. N.; C. in praxi; synopsis historiae *Cis.*

Universitas Catholica urbis **Washington**, D C., mense martio *expositionem* 4,000 imaginum de B. Virgine aperuit, quae pictae sunt secundum " originalia „ totius orbis terrarum celeberrima.

Sodales S. Aloisii urbis **Victoriae** (Hispania) fer 2, et 3. bacchanalium, *dramata* duo intercalaresque alias *scenas* militibus dicatas voluerunt; qui tanta frequentia adfuerunt, quanta theatri natura patiebatur. Qui actusa sicut iam anno praeterito, a nobilibus feminis praeparati sunt ad edocendos recreandosque milites. Sodalibus cooperantibus summo solatio erat quod rei, tam religioni quam patriae secundae, adlaborare possent.

Ad finem mensis martii, magno cum fructu, *exercitia* tradidit P. Vergés iuvenibus sodalibus suis **Barcinonensibus** in templo nostro. Nunquam tanto numero prioribus annis convenerant. Totam ecclesiam impleverunt usque ad scalas pulpiti et altaris in presbyterio.

Editor: *Albertus Boegle S. I.*

Superiorum permissu.

Romae - Ex Typographia Campitelli - Via Orazio Coclite 50-A.